

Nro 279 praes.



II.

JOSEPHUS ALOJSIUS

Dei et Sedis Apostolicae Gratia Episcopus



TARNOVIENSIS

Commendarius Ordinis C. R. Austr. Francisci Josephi &c.

Salutem et Benedictionem in Christo Jesu DOMINO NOSTRO!

Ecclesia Domini Nostri Jesu Christi similis est naviculæ undis et tempestatibus in mari licet fædis jactatæ, incolumi vero ad portum salutis unacum naviganti bus secure pervenienti. Quantæ jam tempestates et quali cum fragore contra illam exortæ!

Cum conaretur in Oriente navigare, oritur ex Judæis eurus, postea e dominatu crudelitatis tyrannicæ saevire coepit auster, cruciamenta vulnera et sanquinem uti imbres effundens, tandem irruit contra illam et boreas frigidus, dissidia et hæreses serens.

Et ecce! omnes hae procellæ cruentæ non potuerunt naviculam Cephæ in profundum demergere maris, imo sanguis fusus Martyrum, factus est semen Christianorum. Merito itaque ait S. Hilarius, quod „Ecclesia hoc proprium habet, dum persecutionem patitur, floret — dum opprimitur, crescit — dum contemnitur, proficit — dum læditur, vincit — dum arguitur, intelligit, — tunc stat cum superari videtur.“ „Haec est victoria“ Ecclesiæ militantis in terris in primordiis „quæ vicit mundum fides nostra.“ 1 Joan. 5;

Optime noscitis Fratres dilectissimi et in vinea Domini cooperatores! quanta ultimis lustris zizania inter triticum inimici nostræ salutis et societatis humanæ, ad evertendam Ecclesiam et Civitatem sererent, nec quemquam Vestrum fugit, quanta dictis lustris de malorum horrore pertimescenda essent, quare nec mirandum, quod utraque quaerebat: Unde veniet auxilium mihi?

Clementissimus autem Deus Pater Domini Nostri J. C. cujus misericordiæ non est numerus, et bonitatis infinitus est thesaurus; cujus viae misericordia et veritas; cujus voluntas omnipotentia; cujusque sapientia attingit a fine usque ad finem fortiter et disposuit omnia svaviter, suscitavit nobis Augustissimum Imperatorem ac Regem Franciscum Josephum, qui Imperium suum cum Roma divisit ut ita dicamus et sapientum virorum consilio ductus injustum reputare dignatus, vilem ancillæ conditionem subire sponsam Christi, quae alios liberos facit ac novam aeram est auspicatus, facta Conventione Summum Pontificem Pium IX. inter, et Austriæ Imperium sub 18. Augusti 1855. ex qua non difficile perspectu est: Vicario Christi beatissimi Apostolorum Principis Successori Sanctissimo Patri jura primatus et honoris quam jurisdictionis, quibus ex Dei ordinatione frui debet, reddita, Ecclesiæ jura pridem e tempore Februniano undique circumsepta restituta, autonomia Ecclesiæ in gerendis propriis rebus, conservatio institutorum in honorem Dei instructioni et benignitati sacrificatorum, salvum dominium et usus patrimonii ejus tabulis legum regiminis fundamentalium illata; priscæ leges, quæ Christianis cath: ad Summum recurrere Pontificem vetabantur, sublatæ; in Synodis Episcopis convenire provincialibus et de rebus Ecclesiæ decernere licitum; consvetudo laudabilis conventus diœcesanos attinens reviviscit; Sodalitatibus piis nomen dandi facultas reddita; verbo: restituta sunt jura antiqua sancita in Concilio Tridentino sapientissima, et sic arctiora nunc Episcopos eorumque

Presbyteria vincula junguntur, talique facie rerum immutata, illa harmonia necessaria Ecclesiam inter et Civitatem exorta, de cujus re secunda in oratione Papæ Urbani VIII. legimus: „Felicissimos igitur prædicamus homines, ubi Ecclesia et Civitas arcto amicitiæ fœdere junguntur.“

Ad promovendam itaque salutem hominum et ne unquam prævaleant quoq. portae inferi adversus Austriæ sceptrum hæreditarium Imperii, vires cum petra Petri unitae conspiciuntur, ac ea reviviscunt tempora, de quibus Ivo Carnot epist: 238 ait „Cum regnum et Sacerdotium inter se conveniunt, bene regitur mundus, floret et fructificat Ecclesia.“

Quis Vestrum Dilectissimi Fratres percunctando istam nostram Chartam Magnam (conventionem) inter Augustissimum Imperatorem et Sanctam Sedem non afficeretur singulari animi gaudio et lætabundus exclamaret: Benedictus Deus patrum nostrorum! Pater misericordiarum, quoniam magnus est et sanctum Nomen ejus faciens mirabilia! Tu es Deus solus! svavis et multæ misericordiæ! fidelis in promissionibus et beneficiis usque in aeternum! „Adeoque novum habemus documentum nostris temporibus, quod non est sapientia, non est prudentia contra Dominum“ Rom. 21. ac quod Ecclesia militans in terris „thesaurum habet licet in vasis fictilibus“ id autem ut cum „viribus suis minus confidat, sublimitas sit virtutis Dei et non ex nobis“ II. Cor, 2, 7.

Quis illo lacrymabili tempore, iteratis vicibus dicimus, quo falsi prophetæ insurrexerunt adversus Deum et Christum ejus, — quo et nonnulli de domo Dei, eloquiis Dei praetermissis, quæ sæculi sunt, loquebantur; — quo nulla lex, nullus ordo sed arbitrium inimicorum salutis nostræ imperabat, — quo blasphemabatur via veritatis per pseudoprophetas somniantes de beando genere humano sine Christo — quis dicam hocce tempore, quo abominationem desolationis in loco sancto stantem (Romæ) videbat, nec non pervolantem totam Europam doctrinam, quæ notam „evacuatæ crucis Christi“ — merebatur, exitum pro Ecclesia Dei catholica tam gloriosum et supra spem splendidiorem veteri squallore plane detersum, augurasset!

Et ecce! illa dextera Excelsi, in cujus manu sunt corda regum, qui vicit mundum et per Semetipsum juravit, se usque ad consummationem sæculi Ecclesiam proprio

cruore acquisitam non derelicturum, omnia moderabatur ad salutem nostram, angustiasq. nostras in gaudium commutabat, ac super portas inferi palmam detulit, quare Eidem Magno Deo et Salvatori nostro J. C. cum Spiritu S. honor, laus et gloria.

E supra jam attactis nominem latet, qui rerum ecclesiasticarum conditionem in Imperio Austriæ noverit, et naturam illorum, quæ pertractata, sedulo expenderit, quanti momenti ea sint, quæ per Conventionem (Concordatum) die 18. Augusti 1855, quam his litteris Nostris apponimus, initam pacta fuere inter Sanctam Sedem et Majestatem Suam Cæsareo — Regiam Apostolicam, quamque uberes fructus in Ecclesiam inde sint profluxuri. Tanti autem hujus operis utilitas et uberrimi fructus a modo potissimum pendebunt, quo ea, quæ conventa sunt, executioni mandentur. Majestati Suæ Cæsareo Regiæ Apost: pro eo, quo præfulget religionis zelo, maximopere cordi est, ut quæ solenniter pacto fuere confecta, integre, sancte et religiose observentur, id ipsum autem ab Ecclesia esse in iis præstandum, quorum executio ab ea dependet, ac tali facie rerum ut optatissima inter Sacerdotium et Imperium concordia firmetur et in majus Ecclesiæ bonum magis ac magis roboretur. „*Felices principes,* inquit S. Aug: de civ. Dei lib. XIV. *si suam potestatem, ad Dei cultum maxime dilatandum majestatis ejus famulam faciant.*"

Fratres dilectisimi Ecclesiae militanti in terris adscripti! pretiosam Vobis margaritam (i. e. conventionem) concredimus, pro gloria Dei, Imperii salute, et pace Ecclesiæ, sancte servandam ac omni cum prudentia, et modestia, qua pares sitis defendendam, ne hi, qui foris sunt, de abusu thesauri i. e. jurium et privilegiorum recentissimorum, de harmonia turbata vos accusent, aut indignos tantæ gratiæ vos censeant.

Cavete, ne immaturo Vestro procedendi zelo c. r. Subselliis incommoda causetis, ac illis contra Conventionem conquerendi ansam præbeatis, aut inquietos reddatis; cum cuncta privilegia in conventione solemni contenta nullo alio fini, quam „*ut fides, pietas, et omnis recti honestique vigor in Austriæ Imperio conservetur et augescat*" concessa.

Juventutis catholicæ instructio in cunctis scholis nobis concredita est; quare illa sit solers in placitis sacrasanctæ religionis catholicae, tam in Ecclesia quam in schola; cum dubitari nequeat, illam esse unicum et praecipuum remedium vulnera religioni et civi-

tati nostris temporibus illata, sanandi et in futurum præcavendi. Sit autem illa instructio cum exemplo bono juncta. A bono zelosoque pastore licet non omnia, attamen plura dependent; cum Vos non latet, longum esse iter per præcepta, efficax autem exemplo. Instructionem aut per se, aut ope Organarii, quoad hymnos in laudem Dei compositos ne parvi habeatis; nam qui cantat, bis orat. In visitationibus elapsis annis susceptis, expertus sum, quod pro disparitate zeli, seriaeque voluntatis e parte Curatorum et profectus in doctrina dispar erat, cum in nonnullis Curatiis populus, juventusque in principiis doctrinæ salvificæ tam de necessitate medii quam præcepti; imo et in cantilenis sacris consvetis bene instructus, in aliis autem tam in credendis quam faciendis ignarus et rudis. Pro viribus itaque agite Vestris ad finem religionis assequendum salutarem; tali modo enim eritis documento gratae beneficii memoriae.

Sodalitatibus perversis, sodalitates modo concessæ, quales Ecclesia probat et commendat; armis infernalibus, arma cœlestia; viæ perditionis, via salutis; mediis regnum Antichristi propagandi, media fines cœlestis Jerosolimae extendendi; viis tenebrarum, arma lucis opponenda, et pietatis operibus unitis viribus incumbendum. Praecavendum utique, ne Sodalitatum piarum nomine molitiones obtegantur in Ecclesiæ et Imperii perniciem vertentes. Sodalitates piæ ita dirigendae, ut inimici ordinis cum viderint effectus salubres naturam immutent, iras deponant, sensaque perversa in meliora vertant, ac cognoscant, quod e vulneribus, quæ Ecclesiæ et Civitati inflixere, sapientia Dei bonum et prosperum educere congnovit. Hocce procedendi modo novum præbebitis documentum, Vos beneficii accepti non indignos fuisse.

Non minus dirigenda vigilantia Vestra pastoralis et prudens quoad libros impios, cum sine dubio ex experientia scitis, quam perniciosum in corrumpendas mentes cordaque fidelium influxum exerceant, præcipue pagellae sic dictæ volantes, quae quasi arma infernalia ad subvertendam in hominibus fidem, convellendosq. in eis rectos de via virtutis et vitii conceptus adhibentur. Hoc genus librorum externa sua forma incautos nedum deterret, sed allicit ac sub specie amabili serpit in modum cancri totum non raro corpus consumentis ac sic familias licet probatissimas sæpe ad abyssum, quin suspicentur, ducit. Nolite a labore desistere, donec puritas resplendeat catholicæ fidei, legum strictissima observatio, et nitor disciplinæ eccle-

siasticæ appareat. Verba vestra ad fideles sint omnibus in locis et temporibus, tam in conversatione quam ad concionem verba faciendo, pia et in spiritu Christi et hoc ad ora claudenda impura nonnullorum hominum vitæ perversae, qui juventuti perquam sunt periculosi ac innumera inferre possunt parochiæ damna. Laborate, etsi indocilem populum experiemini. De Propheta, si officium suum impleret, sic loquitur Deus (Ezech. 33, 9). „Si, annunciante te ad impium, ut a viis suis convertatur, non fuerit conversus a via sua, ipse in iniquitate sua morietur; porro tu animam tuam liberasti.“ Non itaque reus es, si forte verba tua populus non audiat vel contemnat, sed si ab eo corrigendo absistas. Fac, quod tuum est; Deus, quod suum est, satis absque tua anxietate et solicitudine curabit.

Elegit Vos Christus, ut quasi luminaria luceretis in caliginoso loco, ut fermentum evaderetis, quod omnem massam faciat fermentare; ut veluti Angeli cum hominibus versaremini in terris; ut tanquam cum infantibus viri, et quasi cum hominibus animalibus, homines spirituales viveretis, quo ex contubernio Vestro ingentia illi conquirant lucra: ut sitis semina fructumque laetissimum afferatis. Scimus, hæc omnia non futurum absque certamine; attamen et scimus Vos esse militiam Dei, murum Ecclesiae, duces et pastores gregis dominici, sponsae custodes; scimus, Vos in Ecclesia militanti, adeoque certandum pro gloria Dei et Imperii salute armis spiritus, etenim sine pugna nulla laurea, sine labore nullum praemium, sine abnegatione suimetipsius nulla virtus!

Zelus prudens ac labor dupplicatus in honorem Dei et prosperitatem Imperii erit ulteriori documento, quod perspectum habeatis, beneficium proprio motu a Summo Imperante Vobis conventione praesenti cum Sua Sanctitate Pio IX inita candidis manibus traditum.

Itaque conventionem modo attactam, in qua jura et privilegia propter finem salutarem Ecclesiæ in Imperio Austriæ assequendum enucleantur, legite, studete ac in succum et sanquinem vertite.

Quum autem nihil sine Illo possumus, in quo vivimus, movemur et sumus, quare vix adhortatione erit opus, ut Dilectissimi Fratres! orationes, postulationes et gra-

tiarum actiones Vestras ad Deum Omnipotentem et misericordiæ plenum dirigatis, ut rorem benignitatis Suæ super Conventione largum effundat; porro nolite negligere flagitare Deum, ut Pontificem Maximum Pium IX et Summum Imperantem Franciscum Josephum I. quos hisce duris temporibus providentia divina vocabat ad gubernacula Ecclesiæ et Imperii, ut de opere suo quam diutissime glorientur ac fructus uberes in lætitia colligant.

Orate et pro amplissimis Antistitibus e Senatu purpuratorum et nobilissimis illis viris Deum, qui suis consiliis maturis sortem Ecclesiae et Civitatis moderantur, ut eis e thesauro tribuat Suo rerum cognitionem ad adlaborandum in semita justitiae, salute Imperii ac pro Christi Ecclesiæ splendore.

De cætero salutamus Vos, ut in Ecclesiis Vestris, prima, quæ ab his perceptis sequitur Dominica, concione prævie de beneficio quæstionis admonita, post Missam majorem seu Summam cum expositione Sanctissimi in Monstratorio solenne „Te Deum laudamus“ celebretis.

Ad Missæ Sacrificium summendæ collectæ pro Pontifice et Imperatore, ut Deus totius consolationis Clementissimi Domini nostri Jesu Christi piis studiis benedicere eaque uberibus fœcundare dignetur fructibus.

His jungimus paternam Vobis Dilectissimi Fratres! et episcopalem benedictionem. Sit itaque gratia Domini Nostri Jesu Christi et communicatio Spiritus S. cum omnibus Vobis.

Dabamus Tarnoviæ in Vigilia Epiphaniæ 1856.

Josephus Alojsius,

Episcopus Tarnoviensis.

